



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Pastorvm Concionatorvmqve Instrvctiones**

**Borromeo, Carlo**

**Coloniae, 1587**

**VD16 B 6753**

De concionatoris officio in suggestu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51263](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51263)

Disciplinæ enim cibus, qui populo proposuitur, mente propria, quasi stomacho concoctus, vires maiores habet ad omnem sanitatem commotionem.

Ne igitur concionator se totum in alienas conciones temere ingurgitet: satius est eas ex sanctissimorum Ecclesiæ Doctorum Gregorij Magni, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, aliorumque Patrum homilijs, sermonibus, & tractationibus confidat & quasi conflare.

Eam quoque præparationem in omni concione, recte explicanda, adhibebit, ut quem deuotionis ardorem ex religiosis diuinarum precum recitatione, sacra celebratione, & pia meditatione, Deo iuuante, conceperit, eundem studiose curet secundum suggestum deferre.

*De concionatoris officio in suggestu.*

**A**TQVE hæc quidem sunt, ad quæ concionator se paret, antequā suggestū ad concionandum ascendat: quem ubi ascendit, illud in primis breui tacita oratione rursus à Deo precabitur, ut sincerum, castumque sit prædicationis suæ studium, ut nemini noxiū, ut & sibi, & omnibus in commune salutare. Hocque etiam summa prece tacitus contedet, ut si fortasse in concionando se vel gloria inani, vel alio vitio

at-

attentari aliquando contigerit; id, & alia omnia, quæ aliorum, quam ad diuinam gloriam, ad animarumque salutem spectent, Deus diuinæ suæ gratiæ virtute disiijciat, atque planè auertat.

Deinde, quod antiquissimi instituti est, ac nō sine mysterio quidem, salutationem angelicam, non festinanter, nō canorè, sed graui, piaque pronunciatione, ac genibus flexis, recitabit ad præscriptam verborum formulam, qua Ecclesia sancta vtitur: ita ut ne verbum quidem, vel addat, vel detrahatur, vel mutet, quod ab illius instituta ratione diuersum sit.

Si concionatur intra Missarum solenia, quæ ipse celebrat, salutatione angelica non vttetur.

Dum in concione versatur, sibi ob mentis oculos perpetuò proponet, tamquam in aduerso pariete, Christum Dominum, in maiestate iudicantem: qui ab se quoque iam iam villicationis rationem depositat.

Post concionem vero, prout ratio valitudinis tulerit, antequam cibum capiat, paulisper orabit: sicque quos progressus concionando facere coepit, eos orando prosequetur: & sic deinceps adiuuabit perpetuo opere sanctitatis, ac voce virtutis.

De